

**S**ELMNIZIUM vegetum, generoso sanguine cretum,  
Virtute insignem mors cita præripuit.

Gaude SELMNIZI! Citò mundum deseris atrum,  
Et celeri cursu scandis ad astra poli,

Astra DEUM cantu celebrantia voce perenni,  
Angelici dico lumina clara chori.

O Te felicem! Mundo mundana relinquis:  
Cælica delectant, mente fruiq; DEO.

Illic perpetuum canis HALLELUJA triumphans  
χύρι, dum canimus Nos, ελεῖσον. Eheu!

Quanta caro miseris, Satanas proh quanta! pericla  
Accelerat, Mundus quanta subinde creat!

Liber ab his cæli novus incola despicias omne  
Quod nos cunq; premit undiq;, letus ovas.

Abraham Calovius, D.

**P**Langere cœlestem gnatum nolite PARENTES,  
Qui petiit summi regna beata poli:

Stant ubi chrysolitis tecta astri micantia gemmis,  
Nec non obryzo limina clara micant.

Hic nos expectant vel mille pericula vitæ,  
Incola sed cœli cernere nulla potest.

Johannes Meisnerus, D.

**S**I veteres ceræ, si stemmata flebile fatum  
Arcerent, tumuli non cita præda fores.

Sed non, SELMNIZI, flexit vernantibus annis  
Flos Tuus, aut clypeus tela severa necis.

Ergò cadis victumq; locas in pulvere collum;  
Unde Tuorum ingens pectora mœror habet.

Libera vita tamen fugit irrevocanda sub æthram:  
Non poteris vinci dignius, aut cadere.

Johannes Andreas Qvenstedt, D.

**N**obile SELMNIZI studium nunc despicit orbem,  
Et quæ sunt mundi dona caduca mali.

Nobilis hic animus, qui semper tendit ad ultra,  
Cælica mundanis ante ferenda bonis.